



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. De expressa renuntiatione beneficiorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

de regula. in 6. *Et*. Videatur autem hæc tacita renuntiatio in eo differre, à privatione beneficii, ipso jure facta, quòd, si protestetur beneficiatus, se per talem actum nolle renuntiare beneficio, protestatio talis id operetur, ut talis actus vim tacitæ renuntiationis non habeat, in privatione verò, quæ ipso facto incurritur, protestatio talis nihil prodest: hæc tamen tacita renuntiatio non est facillè præsumenda, si SS. Canones non inducant beneficii talis resignationem; quòd enim multis forsasè expensis, & laboribus acquisitum est, tam facillè renunciari non censetur. *c. super eo 5. h. t.* Videatur *c. sane 7. c. veniens 13. Et c. lecta 14. h. t.* ubi referuntur casus aliqui apparentis quidem renuntiationis, quæ tamen à jure pro vera non agnoscitur.

## § II.

## De expressa renuntiatione beneficiorum.

**R**enuntiatio expressa ea dicitur, quæ fit verbis ad hoc accommodatis, & voluntatem renuntiandi aperte declarantibus, vel etiam scripto juxta formam à jure præscriptam. Duplex ea est, pura una & simplex, seu absoluta, quæ fit sine ulla conditione, modo, & pacto; & altera conditionalis, qualis est 1. quæ fit in favorem tertii, sub ea scilicet conditione, ut conferatur illud certæ personæ, in cuius favore aliquis resignat. 2. quæ fit cum reservatione fructuum ex toto vel ex parte. 3. quæ fit cum regressu (reservato scilicet sibi jure, ut resignans possit ad beneficium redire, si ille, cui cessit beneficium, præmoriatur) vel cum ingressu, quando scilicet collati quidem beneficii, ante hujus tamen possessionem, fit resignatio, sub ea conditio-

ne, ut mortuo resignatario possit resignans propriâ auctoritate ingredi sive possessionem hujus beneficii accipere; vel cum accessu, quando scilicet beneficium puero destinatum, ob ætatem tamen illius incapaci, alteri interea confertur, eâ tamen conditione, ut post legitimam ætatem pueri, possit hic propriâ auctoritate beneficium tale accedere, & recuperare. Et 4. Denique conditionalis designatio beneficii dicitur, quæ fit ex causa permutationis, quando scilicet beneficium, quod habet, dimittit aliquis, ut alterius beneficium sibi conferatur.

## SECTIO. II.

## De beneficiis, quæ resignari possunt, vel non possunt.

## §. I.

## Quæ beneficia resignari possunt?

**O**mnia beneficia Ecclesiastica, sive sint curata, sive simplicia, sive sint majora beneficia, & dignitates, sive minora, sive requirant residentiam, sive non requirant, etiam manualia, patrimonialia, beneficia, quæ optari possunt, beneficia affecta jure Patronatus, beneficia electiva, exempta, reservata sedi Apostolicæ, & cujuscuque demum generis ac qualitatis sint, resignari possunt (nisi specialiter jure aliquo scripto hoc prohibeatur) modò ea observentur, quæ beneficia talia exigunt, ut ne fiat aliquid contra fundatorum voluntatem, vel cum præjudicio aliquo.

## §. II.

## Quæ beneficia resignari non possunt?

Expresso